



2936.

157/111
15

DISQVISITIO POLITICA
DE

I U D A E I S

N. T.

1669, 11

Quam

Deo iuvante & Superioribus
benevolè suffragantibus

Sub

4

PRÆSIDIO

M. IACOBI Calmbergi

Gothâ-Thuringi,

Publicæ placidæque Eruditorum censura

In Inclytâ Academiâ Salanâ

subiecte

MALACHIAS PETSCHIUS,

Stappenbeccensis Marchiacus,

Ad diem Julii

In Auditorio Philosophorum

J E N Æ,

Literis Johannis Jacobi Bauhoferi,

ANNO M. DC. LXIX.



DISPOSITIO POLITICA

M. D. A. E. I. S.

N. T.

Quam

Pro Regibus & Principibus
et Electoribus Imperatoribus

et

PRÆSIDIO

M. JACOBI CAMPBERGI

Gotha-Liningeri

Libri huiusmodi in Bibliotheca

in huiusmodi Academia

libri

MALACHIÆ PETSCHERÆ

stephanus de Malachia

Al. M. J. A.

In Auditorio Philosophorum

1717

Licitis sol. man. Jacov. Fischeren

ANNO M. DC. LXXVII





I. N. I.

DISQUISITIO POLITICA

DE

JUDÆIS N. T.

Ἰσραηλῆν



ELIX RESPUBLICA, IN QUA
NON EST ABRAHAM (*Judæus*)
NIMROD (*Tyrannus*) NAA-
MAN! (*Leprosus*) sermone tritis-
simum proverbium exclamat. Ni-

hil jam dicam, aut disceptabo de Tyrannis le-
præve coinquinatis hominibus, nec multis osten-
dere laborabo, quæ mala quamque pestem per-
niciemve civitatibus, quibus præfunt, aut adfunt,
attrahant alii; Solùm hac vice, *Lector benevole!*
demiror Johannis Majoris Scoti libr. IV. Histor.
Scot. cap. 9. de Judæis effusam vocem: *Inter Chri-
stianos, iniquientis, tam utiles sunt Judæi, quam
inter mundum triticum mures.* Enimverò sive
Historiarum monumenta, sive quotidianam ex-
perientiam consulam, ubique fatis intelligo, quei
dicti Judæi odio plusquam Vatiniano erga mun-
di Messiam & hujus sinceros cultores accensi, si

A 2 in

in Resp. bene constitutas, praesertim in civitates
Christianorum, promiscue & simpliciter recipian-
tur receptivè libera *ἀνομιὰ* gaudeant, nec certis
legibus, conditionibus & salubribus *ἀγέλασαι* re-
strictis privilegiis & juribus gubernentur, aut
coërceantur, incommoda multa machinentur, &
quantum fieri potest, nihil inexpertum nihilque
omissum relinquunt, quod ad interitum Reipu-
blicæ, inopiam pauperiemve Civium, item ad ve-
ræ pietatis cultusque divini contentum simpli-
cioribus ingerendum & hinc inde promovendum
pertinere videre. Nec malè Christophorus
Dux Württembergensium, nescio cui, qui Judæos
lucri causa recipiendos esse svadebat, religi-
oso æquè ac generoso animo respondebat:
*Wenn diese verfluchte Leute Mir wolten Geld voll
auf geben/wolte Ich sie doch in meinem Fürstenthum
nicht leiden / weil sie an meinem Bruder Christo
treulos und Mörder geworden sind/.* Quod ta-
men eò trahi nolim, ac Judæi penitus è bene
Constitutis Rebuspublicis proscribendi, ejici-
endi, aut sine prægnantibus causis interimendi
sint, quæ mens à multis quondam probata est
& adhuc probatur. Nam hoc ipso fine, ut istius
opinionis contrarium magis declarem, mihi hac
vice loco liberioris Exercitii Politico-Philosophi-
ci lubet de Judæorum in Republicas bene con-
stitutas receptione & olim in easdem recepto-
rum

rum tolerantia jucundam pariterque non omnino inutilem quaestionem movere, meam (posthabitum aliorum; nec enim necessum esse reor, ut omnium judicia hic prolixè persequar) ex sanioribus autoribus petitam sententiam perspicuam assertionem exponere & pro virili eandem paucis explicare. Quod, ut feliciter succedat, Tu

*Caeli terrarumque Sator, qui cuncta gubernas,
Da facilem cursum mentemque benignè
Dirige, fac par sis dubio, tempusque measque
Curas rite locem! Reprecor: Deus annue votis!*

QUAESTIO.

AN JUDÆI IN RESPUBLICAS BENE CONSTITUTAS RECIPIENDI ANQUE OLIM RECEPTI IN IISDEM TOLERANDI SINT?

MEA ASSERTIO.

JUDÆI NEQUE IN RESPUBLICAS BENE CONSTITUTAS TEMERE ET SIMPLICITER RECIPIENDI, NEC OLIM RECEPTI TEMERE ET SIMPLICITER IN IISDEM TOLERANDI SUNT.

EXPLICATIO ET PROBATIO MEÆ ASSERTIONIS.

§. I. **H**ic vix opus est, in limine curiosè monere, mihi nec quaestionem, nec assertionem de quibusvis, v. g. etiam iis Judæis

dæis esse, qui veteris Testamenti tempore vixere quibusque interprete Paulo τὰ τοῦ Θεοῦ λόγια concredita fuisse ex Rom. III. v. 2. novi. Quisq; enim facile persuaderi sibi patitur, nunquam ququam dubitasse, an isti Judæi suo tempore in Civitates recipiendi & tolerandi fuerint, patetque me loqui unice de *N. T.* justissimæ Dei vindictæ reservatis & plerumque aperto odio planèque dirâ blasphemiâ Christum Christicolasque adhuc indies prosequentibus Judæis.

§. 2. De horum receptione & tolerantia à variis variè ultrò citròque disputatur & sunt haut pauci, qui eos ex Rebus publicis Christianorum omnino ad extremam usque Thulen relegandos & nunquam admittendos esse statuunt plausibilibus quidem, sed non sat firmis, stipati rationibus.

§. 3. Et *Martinus Becanus* quidem in *Manuali* controversiarum urget potissimum tria, ob quæ Princeps, seu Magistratus in Rempublicam benè constitutam Judæos admittere & tolerare non debeat, nec salvâ conscientia possit. Horum autem malorum *primum* esse fert Sectam & Exercitium Judæismi, *secundum* Usuram intolerabilem, quam admissi & tolerati plerumque à Christianis & civibus exigunt, *tertium* Odium in Christianos penitus implacabile.

§. 4. De

§. 4. De his causis singulis, ut de quavis exploratiorem explicatioremque habeamus rationem & eò proclivius constet, quæ limitanda sint, ut Reipubl. nil obsint, sigillatim pro hoc meo instituto agam & dilucidè discurram.

§. 5. Quod ergò *Seclam* & *Exercitium Judæismi* concernit, ob quod à sodalitia fidelium & Christicolarum prorsus Judæos excludendos & proscribendos, Synagogas & habitationes eorum igne consumendas & penitus delendas soloque adæquandas esse aliqui censent, negari certè à nullo potest, quod Judæi, si ipsis pro libitu sua sacra habere illimitatq; licentiâ circa ea uti permissum sit, turpissimas blasphemias & convitiarum in ordinariis, quas recitant precibus, tum in quotidiano sermone in Messiam nostrum Christum (quem ממוז i. e. *spurium*, item תלוי i. e. *suspensum* appellant, & ad cujus nomen ter in terram expuunt dicentes: ימח שמו i. e. *deleatur nomen ejus*) in Mariam ipsius matrem (quam חריה i. e. *serquitinium* vocant) in fidem Christianam ejusque sinceros confessores (quos גוים *Ethnicos* & *populos mundi*, item כלבים *Canes* nominant & *Imperium Romanum*, sub quo vivunt, & quod *Regnum Edomiticum*, *Regnum superbum* & *Tyrannicum*, item *Regnum impium* vocant, evomant, impetant & iisdem variè & nefariè proscindant.

§. 6. Sic

§. 6. Sic etiam novimus, quod subinde clament, nos esse istos, qui non habeant partem in futuro seculo, sed excendantur, perdantur & judicentur juxta magnitudinem impietatis ac peccati in omnia secula seculorum, &c. vid. Maimonides Hilchot tefchuba cap. 3. ואלו הן ubi Glossator addit: *R. Selomo Jarchi scribit, minim vel heretici sunt discipuli Jese Nazareni, qui pervertunt verba Dei וירוי.* Atqui de גוים communis hæc ipsorum est sententia של גוים מאכל לאתו של גוים *sunt illi pabulum ignis infernalis.*

§. 7. Hinc in precatione quadam, quæ incipit: לשבח לך יהוה ita, ceu ex Breviario Precationum vulgari cognoscimus, orant: *Nostrum est, laudare Dominum universi, atque efferre creatorem, quod non fecit nos quomodo gentes terrarum, nec posuit nos inter familias hujus regionis, neque inter illos partem collocavit nostram, ut sortem illius populi, qui incurvant se vanitati & idolo atq; adorant eum, qui non Servator est i. c. Jesus.* Has & tales alias blasphemias, nisi strenuè inhibeatur & coërceatur Legibus eorum malefana voluntas, in Christum unicum mundi Messiam inque ejus asseclas infano ore (fateor) eructant.

§. 8. Neq; tamen non adhuc in confesso apud omnes est, Judæos esse quasi Christianorum thesaurarios & Sacra Biblia sanctissimè custodire, quòd per-

pertinet illud *Augustini*, quando libr. 12. contra *Fauftum Manichæum* cap. 23. circa finem: *quid, inquit, est Gens Judæa, nisi quadam Scrinaria Christianorum bajulans legem & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ?*

§. 9. Idem referente B. Gerhardo in LL. Theol. Epist. 59. dicit: *Singulari DEI curâ contigisse, ut Judæi debellati, subversi & perpetuò exagitati, quamvis animis adeo inflammatis Christum persequerentur, Scripturas tamen sacras conseruarent, ut Evangelii Christi veritas clariùs apud omnes refulgeret, si hostium infensissimorum testimoniis valentissimis confirmaretur.* Adhæc aliæ plures rationes evincunt, quod (ceu inferiùs pluribus ostendam) Judæi soliùs Judaismi, non simul aliorum criminum rei, à benè constitutis Rebuspublicis, (etiam Christianorum) si modò ab iis postulatae conditiones observentur ipsorumque mali conatus coërceantur, neuiquam debeant esse exules atque extorres.

§. 10. Pergo nunc *ad secundum malum*, nempe usuram, quam Judæi liberam in Civitatibus indepti licentiam à civibus subinde exigere asolent. De hac itidem certum est, quod eam immoderatè extorqueant, si sibi relinquuntur nullisque legibus adstringantur, & ut, quod huic auri cupidini prætexant, habeant, dictum Deut.

XXIII. v. 20. à peregrino seu advenâ licet tibi u-
suram exigere; adducant & existiment contra
Christianos nihil non impunè suscipere sibi lice-
re; cum tamen ipsum istud dictum nihil quic-
quam ipsos contra nos juvare, nedum ullâ ex
parte malitiam excusare Theologi nostrates sa-
tis superque declaraverint. Conferat, qui vult,
Antonii Hulsi Theol. Judaic. part. secund. librum
I. pag. 418. & seqq.

§. II. Hinc, quantum licet, quicquid in foro ve-
nale perspiciunt aliis præripiunt (vel uti *Horatius*
lib. I. Sat. 2. canit. omnia conductis cœmunt obsonia
nummis;) offerendo majus præciû venditoribus,
quàm alii emtores offerre solent, ac postea, quod
iniquissimum est, coguntur Cives duplum dare
Judæis, si velint emere, quæ ad familiam alen-
dam necessaria sunt; unde accidit sæpenuerò,
ut populus, qui hisce talibus injuriis premitur &
eas ægrè fert, pronus reddatur ad seditionem ex-
citandam, tum in ipsos fures Judæos, tum in fu-
rum istorum socios & Patronos.

§. 12. *Tertium, nempe odium in Christianos*
quod attinet, concedo pariter, quod experientiâ
constet, Judæos quoque perinde, velut si Christi,
ita si Christiani cujusdam mentionem faciunt,
identidem addere illud *non mox, deletur sive*
pereat nomen ejus, quod ipsis idem valet, ac si
di-

dicas, *Diabolus ipsum abripiat*: & prætereà expresse docent, non esse peccatum, si Judæus Christianum interficiat, (*quia Christiani proprie non sint homines*) nec esse peccatum, si quis rem perditam, quæ sit Christiani, retineat, si Judæus adulterium committat cum uxore Christiani, si promissum Christiano datum, etiam juramento confirmatum, non seruetur, si Judæus furetur Christiano &c.

§. 18. An verò verum sit etiam istud, quod de Judæis refertur, solenne iis esse, ut quotannis eo die, quo Christus peccata nostra in cruce tulit, puerum Christianum in specu subterraneo occidant & an certè aliquis compertum habeat, quod omni anno Judæi in qualibet provincia sortes mittant, quæ civitas, vel oppidum Christianum sanguinem tradere debeat? valde dubito, cum primis, quia dictarum opinionum auctores plerumque non nisi ad incertum vulgi rumorem se recipiunt hincque, quod sanxere, stabilire satagunt.

§. 19. *Huc accedit Judæorum animadversa perfidia*, quam multi quoque firmum ipsorum in Republ. bene constitutas, præsertim Christianorum receptioni & tolerantia obicem objicere debere præsumunt. Plerique enim feruntur esse homines leves, fidei sublesta, perjuriis adfueti &c.

quod maximum est, perhibetur, quod quotannis
in Die כפרים *sive expiationum* recitent precationem,
quâ Deum orant, ut omnia juramenta & vota irrita esse jubeat, quæ per totum annum præstantur.

§. 20. Hæc tanta & talia alia, quæ lubens hic diffimulo, mala largior à Magistratibus, qui bene constitutis Rebus publ. præfunt, esse quidem pro virili impedienda, ne in nervos prorumpant & detrimentum aliquod inferant refrænanda & punienda, nisi ipsi istorum scelerum participes audire velint: pernego tamen, quenquam contra plurimorum doctissimorum virorum, nec non Juris Civilis Cameræque Imperialis exsertas sanctiones (*quarum auctoritatem salvam semper esse venerabilem cupimus; cum primis, quia in hac parte Sacro Codici per omnia conveniunt*) inde firmiter posse concludere (quod *Mag. Martinus Siebenhaar* in discursu suo Politico, quem JUDAEOS IN REPUB. NON ESSE TOLERANDOS inscripsit, frustra quondam ausus est præstare) Judæos nullo modo in Republicas bene constitutas recipiendos & tolerandos in iisdem esse.

§. 21. Ab illo quippe, quod per accidens evenit, argumentari ad id, quod per se est, manifesta ἀσυνλογία est. Profectò non eo nomine in Republicas

blicas Christianoru recipiuntur, aut in iisdem to-
lerantur concessisq; privilegiis fruuntur Judæi, ut
Christum mundi Messiam blasphemis, Christo-
colas & puram Religionem convitiis onerent,
impetant & proscindant, ut Christianos variè di-
vexent, odio aperto prosequantur, re & occasi-
one ferente interimant, eos injustis, ac intolerabi-
libus usuris premant, bona exhauriant &c. sed
ideò tùm admittuntur, tùm feruntur, ut tranquil-
lé quietéque secundùm leges à Magistratu ipsis
præscriptas degant, nihil turbarum inter Cives
cieant, nec publicâ scandala sive doctrinâ, sive
moribus spargant & *καθ' ἑαυτὴν* commune com-
modum promoveant. Veluti aliquot hujusmo-
di Judæis posita *διατάγματα* in calce hujus disquisi-
tionis ex optimis quibusque Politicis aliisque
Scriptoribus annectam & breviter explicabo.

§. 22. Pro hac limitatâ fanisque legibus restrictâ
Judæorum in Respubl. benè constitutas recepti-
one & tolerantia multæ militant rationes. Et
ante omnia hoc Jus divinum svadere passim do-
cent Theologi multisque Scripturæ locis idem e-
vincunt. Allegant quippe Psalm. LIX. vers. 12. ubi
hæc habentur verba: *Ne occidas eos, ne quan-
do obliviscatur populus tuus, disperge illos in vir-
tute tua & præcipita eos protector noster Do-
mine! Megalander noster Lutherus hoc dictum*

B

3

ita

ita vertit: Erwürge sie nicht / daß es mein Volk
nicht vergesse / zerstreue sie aber mit deiner Macht/
Herr unser Schild! und stoß sie hinunter. Quibus
verbis Propheta David sub personâ Christi (*refe-
ro modo interpretationem Theologorum, non
falce[m] meam in alienam messem mitto*) orat, ne
gens Judaica prorsus aboleatur, sed per orbem
terrarum dispersa passim vegetur ante oculos
Ecclesiæ, sive populi Dei, Christianorum & fi-
delium. Ergò Judæi inter Christianos ferendi &
non exterminandi sunt. Conf. *Luca Osland.*
Comment. in h. l. & passim alios interpretes.

§. 23. Quæ Dei seria voluntas quoque haut ob-
scure colligitur ex Rom. XI, vers. 25. & 26. à qui-
busdam Theologis: docetur enim ibi, Iudæos
ante finem mundi, cum inter gentes Electorum
numerus completus fuerit, ad Christum con-
vertendos esse. Et expressè citato versu 26. dici-
tur: *ἡ ἐλπίς τοῦ κόσμου ἵνα πάντες ἴσως σωθῶσι* (*adverte communem & ge-
neralem, licet non universalem nec singulorum
individuatorum conversionem à Judæis aliquan-
do esse sperandam*) *συνήγορον* &c. quod Iudæi ita ex-
primunt: כל ישראל יש לו חלק בעולם הבא Confer
Sophoniæ III, 7. & 8. Hoseæ III, 4, 5. Luca XXI,
24 Quæ loca omnia de Iudæorum dispersione &
conversione concionari dicuntur; vid. *Grosheim.*
de Univ. Iud. Conv.

§. 24.

§. 24. Cum primis autem Theologi aliqui pro fide & spe hac nostrâ de Iudæorum conversione certò futura urgent Locum ex Levit. XXVI, 44, 45. atque eundem à variis Rabinorum commentis purgant. Ipsimet namque hodierni Iudæi etiam id olfaciunt & in eo ad nos accedunt, quod insignem status sui mutationem futuram esse credunt & aliquam ad pristinam reversionem sibi pollicentur. Ast turpissimè hallucinantur, dum carnalem in terram pristinam, non verò seriam ad nostrum Messiam reversionem & conversionem sperant. Vide *Andream Welletum* in singulari Tractatu de universali Iudæorum vocatione & in Rom. XI, *Iohan. Prideaux* orat. VI. *Iohann. Gerhard.* loc. Comm. Tom. IX. de Extremo Iudicio pag. 188. & c. *Vœtium* Disp. peculiari, *Hottingerum* in Thesauro Philolog. pag. 9. *Hulsium Theol. Judaic.* lib. I. pag. 252. & alios. Et notabile est, Iudæos hunc ipsum locum, quia incipit à voce אנ nempe אנ אנ אנ & אנ Germanicè *Uff* finium notat, extolles, dicere se in Bibliis aureum finium reperisse. Citantur quoque pro Iudæorum Conversione Jeremiæ Tremi, Deuter. IV. vers. 3. Jerem. XXX, 9. Cap. XXXI, vers. 10, 31. Conf. *Lambadius Danaus* in fine sui Commentarii ad Augustinum de Hæresibus, *Sebalus Schnell* Disput. Contra Abravancem in Esai. XXXIV pag. 141.

§. 25.

§. 25. Deinde exploratæ veritatis est, per ritus Iudaicos, quos adhuc strenuè observant Iudæi, adumbrari & quadantenus confirmari certitudinem Christianæ Religionis & haut rarò accidere, ut Iudæi è Christianis, inter quos degunt, intelligant, ritus illos fuisse tantum umbras & figuras Christianæ veritatis & ita faciliùs ad fidem Christi convertantur.

§. 26. His ex dictis igitur luce meridianâ clariùs est, receptionem & tolerantiam Iudæorum in benè Constitutis Rebuspubl. adeò juri divino non esse contrariam, ut verius statuamus, eam in Sacris Bibliis variè commendari atque firmiter concludere nos quire, omninò Iudæorum Conversionem, licet tempus & modum ejus definire & determinare nequeamus, expectandam esse & eò usque eos inter Christianos ferendos & tolerandos. Cæterum, quod alii pro Iudæorum in civitatibus Christianorum tolerantia probandâ adducunt locum Matth. XIII, vers. 30. Ubi habetur, *Zizania non esse eradicanda, sed unà cum tritico ad tempus messis relinquenda*, plerisque Theologis displicet & succurrit iisdem, eum locum de malis extra Ecclesiam non agere, sed de iis solùm, qui externâ specie Christianos se & viva Ecclesiæ membra esse, cum tamen reapse nil minus, quàm Christiani sint,

sint, ostentant. Conferat, qui vult, *Viri plurimum
Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi DN.
Fridemanni Bechmanni, SS. Theolog. Doct. &
h. l. PP. Ord. meritisimi atque famigeratissimi,
Domini, Praeceptoris, Inspectoris Patroni ac Pro-
motoris mei benevolentissimi, promptissimi, con-
stantissimi atq; ob id filiali observantia prose-
quendisimi*, praelectiones publicas in citatum
XIII. cap. Matth. quas ego quoque contuli at-
que pariter oretenus de eadem re laudatum Vi-
rum - Dominum consului.

§. 27. Et fanè dignius est Christiano homine,
si pro Judaeorum conversione assiduis ad Deum
fufis precibus orat eamque, quo fieri potest,
modo promovet; *Exemplo Pauli Rom. IX, 2, 3.
Cap. X, 1.* quam si petulanter tesseras extorquen-
do, eos verberando (*de profana & temeraria
baptizatione, aut violenta nominis Jesu ab iis
extorsione nihil dicam, qua non minus impia,
quam apud multos solennia censentur*) ex pedi-
bus suspendendo divexat, persequitur, opprimit,
fugat, interficit.

§. 28. Quid? ipsimet ex Iudæis conversi Christia-
ni perversum istum Iudæos severe & duriter tra-
ctandi morem referunt (*refero audita*) magno in-
pedimento solere esse, quod non plures ad Chri-
stianismū convertantur: utpote violenta ad fidem
ingenerandam adhibere alienissimum est.

C

§. 29.

§. 29. Nec enim truci violentiâ ullus ad Baptisimum sive Christianæ Religionis externam fucatamque professionem adigendus est & iudice Flavio Josepho oportet quemque *καὶ τὸ θεοσεβῆσαι αὐτοὺς Deum colere, ἀλλὰ μὴ πρὸς βίαν neque committendum, ut aliquem securitatis causâ ad nos confugisse pœniteat.*

§. 30. Verum rectè de convertendis quibusvis infidelibus monuisse putatur *Nicolaus P. ad Consulta Bulgarorum cap. XLI. De iis autem, inquiens, qui Christianitatis bonum suscipere renuunt & idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi, ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus & ratione potius, quam vi, quod vanè sapiant, convincatis.*

§. 31. Præstat proinde (*denuò infero*) Judæos (*non obstante triplici illâ maledictione, cui iusto Dei iudicio ad tempus subjecti sunt, videlicet (1.) Generali Deut. XXIIIX, 15. (2.) propriâ attractâ verbis in passione Salvatoris nostri editis: Sic Sanguis ejus super nos & filios nostros ac (3.) Christi per os Davidis prolata Pfalm. LXIX, 24. CIX, 17. nec impredientibus aliis præjudiciis, quæ longâ serie percenset Johannes Hoornbeek in prolegomenis ad libb. de convertendis & convertendis Judæis pag. XI. & seqq.*) olim ad Christum, seu mun-

mundi Mesiam Dei gratiã convertendos in Resp.
nostras admittere & tolerare eorumq; conversio-
nem omnibus viribus, Doctrinã & exemplis pro-
movere, quã planè eos ex limitibus nostris ex-
terminare & præcluso ad nostram Religionem
aditu eos ad extremè impios Turcas aut paganos
relegare.

§. 32. Deinde Jus naturæ quoque Judæorum
in Respubl. receptionem & tolerantiam à nobis
efflagitat. Hoc enim dicitur, ut, quæ nobis ab
aliis fieri optamus, ea etiam nos aliis, & quod ad-
dit Salvator, etiam hosti, præstemus, Matth. cap.
VII, vers. 12. & Luc. VI. 31. Adde Matth. V, 44.
Rom. XII, 31. & recordare usu vulgatissimi versus:

Quod tibi vis fieri, mihi fac: quod non, mihi noli.

Sic potes in terris vivere jure poli.

Quam sententiam Imperator Alexander Seve-
rus à Christianis fortè acceptam ita amavit, ut
Palatio & in publicis operibus eam præscribi jus-
serit. Vide Lamprid. in Vitã Severi & Tract. Gui-
lielmi Grotii de principiis Juris naturæ pag. 164.
editionis, quam Vir Amplissimus atq; Excellen-
tissimus Dominus M. Georgius Gætzius Mora-
lium h. l. P. P. Ordinarius & meritisimus, fau-
tor & Præceptor meus colendissimus procuravit,
notis auxit & publicè hætenus cum insigni fru-
ctu Studiosæ Juventutis explicuit.

§. 33. Atque ita (cœu quisq; sanus facile perspicit)
ip[s]a

ipsa quoque *φιλανθρωπίας*, Humanitatis & miserandæ sortis & conditionis, quæ Judæos circumvallavit, ratio admonet, ne Christiani magistratus cæcos & obturatos Judæos, tandē aliquando tamen convertendos, & ad ovile Domini reducendos temerè & sine causâ ex ditionibus suis ejiciant & exterminent Conf. c. *Judæi* 21. de testibus & Oldrad. Conf. 264.

§. 34. *Tertio* pugnat acerrimè pro Judæorum receptione & tolerantia in Civitatibus Jus Cæsareum & Pontificium, ex quo utroque varios textus adscribere & citare quirem, nisi animadverterem, non hujus loci cathedræ esse leges titulosque Juris ad confirmandam meam assertionem allegare. Remitto lubentiùs istiusmodi argumentorum avidos ad ipsa Jctorum monita, consilia atque placita & modo hîc, velut debeo, recolo, multa quandoque in Rebus publicis quâdam conniventia tolerari, quæ tamen per omnia non approbantur.

§. 35. *Quarto* idem probatur multarum gentium & populorum exemplis. Monumenta enim Historiarum satis testantur in multis Germaniæ locis, in Italiâ, Hispaniâ & alibi Judæos & receptari & foveri, veluti *Augustinus* de Civitate Dei libr. 4. & 18. & libr. 2. Evangelic. quæst. 33. & super Psalm. LX. & alibi passim hac de re quædam non inutiliter monuit. Sic etiã novimus

vim non simpliciter tantum Judæos in Imperio Romano sustineri à Magistratibus, quorum tutelæ & protectioni se suaque subjecerunt, sed etiam pænalibus sanctionibus ab injustis violatoribus defendi & muniri. Ac certè hîc operæ simul præciû postulat, ut annotem *Honorii & Theodosii Impm.* Imperatricem vocem: *Nullus tanquam Judæus, cum sit innocens, obteratur. Non passim eorû Synagoga vel habitacula concrementur, vel perperam sine ulla ratione ledantur &c.* & alibi iudem rescribunt: *Christianis, qui verè sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Judæis ac paganis quietè degentibus, nihilque tentantibus turbulentum legibusque contrarium, non audeant manus inferre, religionis autoritate abusi.*

§. 36. *Quinto* Judæorum in nostras Respubl. receptionem & tolerantiam exigere debet reverentia, honor & memoria Prophetarum, Patriarcharum & Apostolorum, qui de Christo inter Judæos vaticinati sunt, Evangelium de Christo longè latèque propagarunt quique secundum carnem Judæi nati sunt, meritis debita. In horum, *inquam*, memoriam, reverentiam & honorem (imo ipsius etiam Christi, qui secundum carnem Judæus est,) meritò Judæorum reliquiae sparsim hinc inde per orbem terrarum servan-

tur & à piis Magistratibus jure optimo foventur, tolerantur.

§. 37. *Sextò* haut spenenda commoda ex Judæorum tolerantia & receptione in Cives redundant. *Sic quippe Judæi oberrant hodieq; nostrum inconspectum veniunt tanquam publici per orbem testes ac præcones* (1.) *sacerdotium & Regnũ eorum fuisse solum typicum* (2.) *omnes fideles jam esse factos sacerdotes,* (3.) *se ipsos esse interfectores Messia* (4.) *incredulitatem esse maximè noxiam* (5.) *Messiam jam fuisse exhibitum: Verba sunt Sauberti in* con. prec. pag. 234.

§. 38. Et certissimè Judæi inter Christianos verfantestantur de veritate & autoritate librorum V.T. quos ut suos & authenticos passim circumferunt & legunt. Hanc ipsam utilitatem quoque magnificet *Augustinus*, dum dixit: *Per multi vana & conficta esse à nobis fortasse existimarent, quæ de populo veteri & de Prophetis narramus, nisi Judæos ipsos adhuc superslites viderent, qui suis libris, vel invitati, nostris sermonibus adstipulantur. Vide librum Augustini de Doctrinâ Christiana.*

§. 39. Cæterum plerasque tales, quæ partim ad Judæos inter Christianos toleratos, partim ad ipsos Christianos pertinent utilitates concinnè admodum & elegantissimè perpendit *Sohnius* in Explicatione Psalmi LIX. & ibi-

ibidem etiam *Selneccerus* versic. 12. Erwürge Ste
nicht &c. Cujus verba merentur, ut hic ingemi-
nentur: Dis ist die Propheey oder Weissagung/
wie die Jüden in alle Welt sollen zerstreuet werden
und nicht gar vertilget seyn. Denn das Unkraut
soll wachsen zugleich mit den guten Saamen bis zur
Erndte / spricht Christus: und ist das gar eine feine
Antwort auf eklicher Jüden Einrede / die auch der
Jüde **Rabi Ellus** dieses 1563. Jahrs zu mir that/
und fürbrachte / sagende: Weil es denn so eine grosse
Sünde ist / daß wir Euren Herrn Christum ge-
kreuziget haben / warumb hat uns denn Gott nicht
gar vertilget / damit keiner von den unsern über-
blieben wehre? Auf diese lose Gegenrede hat auch
der gelehrte Jüde **Paulus Weidner** / so vor
fünff Jahren mit Weib und vier Kindern zu Wien
getauft / geantwortet und diese Ursachen gesetzt:
Erstlich hat Gott die Jüden lassen überbleiben/
daß es Christo und denen Aposteln zu Ehren gesche-
he / welche nach dem Fleisch aus diesem Volcke kom-
men und gebohren sind und haben alda gelehret und
das heilige Evangelium mit grossen Wunderzei-
chen zu predigen angefangen / Johann. 4. das Heil
kämpfe von den Jüden. **Zum andern** den Patri-
archen und Propheten zu Ehren / die Christum ver-
kündiget haben / und sind des Jüdischen Volcks
Vorbäter und Stifter gewesen. **Zum dritten**
von

von wegen vieler guter heilsamer Lehre / die noch bey
den Jüden oder in Ihren Büchern zum Zeuchnuß
wieder Sie / und zu bekräftigung des wahren Christi-
lichen Glaubens gefunden werden / die sie haben / hö-
ren und lesen / und doch nicht verstehen Esai. 6. Zum
Vierdten / zu einer steten Gedechnuß des Leidens
und Sterbens Jesu Christi / wie alhie in Psalm
stehet. Erwürge sie nicht / daß es mein Volk nicht
vergeße; sondern wo man einen Jüden siehet hin
und wieder in der welt / daß man gedenecke an den
Tod und an das schwere bittere Leiden des Herrn
Christi / und wisse. Daß die Jüden / wie Paulus redet /
den Herrn der Ehren gecreuziget haben I. Corinthe
II. Zum fünfften / daß sie den Christen zum Ex-
empel sürgerstellet werden / daß / wenn sie Gott un-
gehorsam sind / Er sie gleichfals / ja viel greulicher
und härter (sintemahl sie nicht von Anfang das
auserwehlte Volk Gottes gewesen) straffen wolle.
Zum Sechsten hat Gott die Jüden nicht ver-
tilget fürnehmlich dieser Ursach halben / daß noch die
überlebende / wenn die Zeit der Heiden nach den
Worten Pauli erfüllet (Rom. XI.) auch sollen zur
Erkenntnuß der Wahrheit / und in den Schaffstall
des waren Mesiaë Jesu Christi kommen und selig
werden. Darnach immerdar bis zum Ende der
Welt etliche aus den Jüden bekehret werden / wie-
wohl es sehr mißlich mit Ihnen ist / wie Ofeas saget
cap.

cap. 3. Die Kinder Israel werden sich in der letzten
Zeit bekehren und den Herrn Ihren Gott und Ih-
ren König David wieder suchen und werden den
Herren und seine Gnade ehren / obedient Messia,
Filio David, Regi tuo, spricht der Chaldeische Text/
Sie werden gehorchen dem Messia, dem Sohn Da-
vid, deinem König / auf daß ein Hirt und Schaff-
stall aus den Jüden und Heiden werde / wie es denn
nun ist und täglich eine Kirche aus Jüden und Hei-
den gesamlet wird: Et subicit: Auf solche Antwort
gehört nun / daß mann auch die Ursachen betrachte/
warumb Gott die Jüdische Policcy zerstöret und
abgetahn habe. Die Erste Ursach ist / daß Gott
hat seinen Zorn wieder die Feunde seines Sohns
erzeigen wollen. Darnach / daß Er anzeugete /
daß die Verheißung von den Messia nicht auf zeit-
liche Wolfart / sondern auf die geistlichen und ewi-
gen Güter gerichtet weren / daß mann nicht ein Welt-
reich aus des Herrn Christi Reich machete / wie die
Jüden meinen. Zum dritten / daß Er lehrete/
daß des gesetzes Wercke nicht die Gerechtigkeit sein/
die für Gott gelde: Moses mit seinen Ceremonien
und Opfern / und mit den zehen Geboten / bringet kei-
ne Gerechtigkeit. Zum vierten / daß also die præ-
rogativa und Vorzug der Jüden aufgehoben würde/
und nun ein Hirt / und ein Schaffstall aus Jüden
und Heiden bleibe. Zum fünfften / daß klärlich
angezeuget und bewiesen würde / daß der verheißene
D Mes-

Messias nun kommen were / sindemahl zuvor dieses
war geweissaget worden / das weil noch die Jüdische
Policey und der ander Tempel stunde / Messias kom-
men solte. Confer *Augustinum* de civitate Dei lib.
IV. & XIIX. & in Psalm. LIX. qui ipsi est LIIX. & a-
libi, *Sohnium* Psalm. LIX. *Petr. Martyr.* in LL.
Commun. Tom. 1. Columna 388. & seqq. & Co-
lumn. 748. *Oldrad. Conf.* 87. & 264. &c. Qui Au-
ctores omnes & alii plurimi Judæos honeste, inno-
center, pacificè & tranquillè viventes ac legibus
sesè reverenter & obedienter subijcientes esse in-
ter Christianos te vendos ac tolerandos; nec vel in
corpore, vel in rebus & bonis temerè violandos,
lædendos aut offendendos, poenâ in contraveni-
entes statutâ uno ore adstruunt & confirmant.

§. 40. Imò: si Judæos planè à nobis rejiceremus
& à finibus & limitibus nostris ablegaremus, haut
dubiè cogerentur (*repeto rationem supra att-
etam*) se ad Turcas aliosve Barbaros & Christiani
nominis infensissimos hostes conferre ibique spe-
ratam ansam nanciscerentur, hostes nostros vi-
ribus opibusque suis adversus nos juvandi, nos
premedi, flammâ ferròque delendi, conversio-
nem procrastinandi & ἀνεμποδίκως & ἀκωλίτως blas-
phemandi.

§. 41. Atque hæ sunt, quas adscribere lubuit ra-
tiones pro Judæorum in Civitatibus benè con-
stitutis, etiam Christianorum, tolerantia facien-
tes.

tes. Quoniam verò in Capite seu limine hujus
disquisitionis data assertio nec simpliciter (id est si-
ne certis legibus & διατάγμασι) Judæos admittendos
esse, nec simpliciter tolerandos svasit, superest, ut
quasdam *ab eruditis positas* & *sancitas leges*, quæ
libertatem Judæorum restringunt, afferam.

§. 42. Ineptum enim & insanum esset, illis *in-
cipias* liberã concedere & indulgere quicquã, quod
vergat in aliquod præjudicium rei, vel hominum
Christianorum. Equidem, quod ad *Sacra Judæorum*
attinet, ipsis hoc cum primis est injungendum, ne
Christum Deum & Salvatorem nostrum maledi-
ctis proscindant, ne festivitates, ritus, ceremonias,
sacra & solennia sua, in contemptum Christianæ
Religionis, fidei atq; legis peragant, neve alio mo-
do, dicto factove Christianos eorumq; Religionem
contemnunt;

§. 43. Ne defuncti corpus deducant psallentes,
ne *vovas Synagogas* pro lubitu extruant, sed ve-
teribus & antiquis contenti vivant; ne *Mosen*
legant, aut *Prophetas* publicè explicent sine dire-
ctoribus & *Ephoris Christianis*. (Solerter quip-
pe ubique dispiciendum est, quid è re Christia-
nismi sit vid. Müllerus in *Judaismi part. II. c. IV.*)

§. 44. Ne *Judeum ad Christianam fidem tran-
sire cupientem* vi aut fraude detineant, aut ullo
modo ledant, nec *Christianos ad suam superstitionem*

nem pertrahere audeant; ut adeant Christianorum templa & conciones sacras audiant.

§. 45. Ut libri Hebræi impressi, vel manuscripti ipsis eripiantur, ut Sacra Biblia in aliis etiam linguis legant, præsertim in Germanicâ & hac ratione à superstitiosis glossis Rabbînorû ad genuinam & sinceram textus biblicî intelligentiam paulatim deducantur.

§. 46. Ne, quod nec Christianis indultum est, pro arbitrio quævis protrudant, & dent in publicum, neq; ipsi Typographicam artem exercent & quævis imprimant citra censuram Christianorum, neq; vulgari lingua edant libros pro suâ impietate contra doctrinam Christi, quod Menasse egit lingua Lusitanicâ & Latinâ; Salomon Hirsch Germanicâ. (Hæc maximâ ex parte sacra Judæorum respiciunt; addo nunc alia. quæ contractus, lites &c. concernunt.)

§. 47. Ne cum Christianis matrimonia contrahant: & retrò, ne Christiani cum Judæis convivere agitent, multò minus eorum de convivis, sacris infestis, aut azymis participant.

§. 48. Ne Judæi inter Christianos fœnus & usuras immoderatas aliosve fraudulentos & prohibitos contractus, quibus pauperes Christianos miserè vexent & affligant, exercent, nec (NB.) monopolia insituant, aut negotiationes suas diebus Dominicis continuent, sed licitò & honestò officio

tificio victum querant, talibus negotiationibus, qua immediatè ad cibaria & edulia spectant, quæq; pauperioribus præsertim incommoda creent, missis solum agricultura, artibus mechanicis & aliis, qua luxum & otium prohibeant, studeant;

§. 49. Ne Judæi ad officia publica admittantur, ne Christianum mancipium vel servum habeant, ne promiscuè nec quibusvis locis inter Christianos habitent; ut certò, externò & evidenti signò in vestibus constituto à Christianis discernantur, ut Judæi secundum Jus in istà Republicà usitatum pacifice, tranquille & sine scandalo Christianorum vivant & peculiari juramenti formula se alligari patiantur. Confer Keckermannum libr. 1. System. polit. cap. 24. pag. 379. in fine & 380. 38. pag. Johannem Hoornbeek in Tractatu de convincendis & convertendis Judæis pag. 26, 27, 28, 29. & 30. Philippum Heinricum Hoënonium U. J. D. in Disput. 2. polit. pag. 49. & 50. Henrici Hahnii Jüden Ordnung. Item B. D. Johannis Gerhardi Locum de Magistratu Polit. pag. 330. & seqq. Die Fürstliche Württembergische Ordnung Tit. die Jüden belangende. Martinum Becanum in Manuali Controversiarum lib. III. c. XVIII. p. 1562. & alios.

§. 50. Denique in Recessibus Imperii ejusmodi de Judæis leges latas accepi reperiri (I.) Judæos nemo ditione suâ recipito, præterquam, qui Regalia ab Imperio ejusve rei pri vilegium habebit. (II.) Si

recipiet, nec tutela Judæis securus ve commeatus,
nec ipsi factum impunè ratum ve esto. (III.) Sub
quibus degent, ne enormibus usuris, Syngraphis
vetitis, fidejussionibus, pignoribus, anatocismis,
menstruis, aliis ve eorum fraudibus proprii per-
aque alieniq; subditi opprimantur, cavento; (IV.)
utque abstineant ab emptionibus rerum furti-
varum easq; Dominis citra dispendium restitu-
ant, vel, si dolo malo alienaverint, precium renu-
merent, curanto. (V.) Si scientes emerint, insuper
§ pro delicti modo puniunt. (VI) Mutuatam
Christianis pecuniam Judæi non suâ, sed Germani-
câ lingvâ conscribunt § quid § quando credi-
derint, quodq; § quale pignus acceperint adjici-
unt: (VII.) Officialium cum Judæis Collusiones
Magistratus arcento (VIII.) Judæos Magistratus
iis conditionibus toleranto, ut § a fanore illicitis-
que Commerciis temperent § tamen victus qua-
rendi honestis rationibus, non destituantur. Vide
Philippi Heinrichi Hanonii disputat. politic. secund.
pag. 50. §. 24. Petr. Denaisii Juris Compend. tit. 150.
pag. m. 185. & 186. Conf. Freher. p. 29. de Numism:
cent. Speckhan. class. 2. 1. q. 16. & alios.

§. 51. His & similibus legibus, conditionibus &
διατάξεις si Judæi (veluti possunt, si modò velint)
morem gesserint, aut gerant, non video, quomo-
dò non in Respubl. benè constitutas, etiam Chri-
stianorum, recipi & ferriqueant; nec quicquam de-

deprehendo, quod adhuc vel *M. Martinus Etebenhaer* / (hujus enim rationes contrariæ quamprimum lectæ fuere & cum dictis *διατάγμασι* conferuntur, exploduntur) vel alius, qui Judæos planè ex Rebus publicis benè constitutis proscribendos esse autumat, solidis argumentis contra suprâ datam nostram assertionem obtinere sustineat.

§. 52. Ego, quæ adhuc proferre quirem pro meâ sententiâ, publico conflictui, aut alii occasione reservabo & modò in hac hujus Disquisitionis Politicæ clausulâ meam mentem explicatiùs, ita denuò propono: *Judæos, pronuncians, nec in Republicas benè constitutas esse simpliciter & sine cautelis, legibus & conditionibus admittendos, nec sine iis in iisdem tolerandos; esse tamen eosdem & recipiendos & ferendos, si dictis διατάγμασι se subjiciant aut obediant; veluti dignâ pœnâ eos afficiendos esse nulloq; modo tolerandos, si isti voluntati Magistratus contræant, obstinatè & contumaciter se iis opponant & adversus ea delinquant, hoc in sine jure meo repeto & Te*

*Trine Jehovah
Laudo, celebros:
Tua mea cuncta
Me dico totum.
Flaminis aurâ,
Turgida virus
Hosq; Tuorum*

*Ore sonoro
Accino grates!
Debeo Tique
Fac, rogo, sancti
Ut Recutiti
Pectora mutant,
Duc ad ovile!*

CO-

COROLLARIA.

Respondente adjecta:

1. Penitus non irasci, licet iustæ irascendi suppetant causæ, hominis stolidi est.
2. Viro forti fugam quandoque adornare licitum est.
3. Vita per temperantiam, ut causam naturalem, prolongari potest.
4. Qui rogatus precibusque invitatus aliquid dat, liberalis est, modò non invitè det.
5. Quanquam detur communicio rerum in Republ. neutiquam tamen ea extendenda est ad omnes omninò res v. g. ad uxores, facultates & possessiones. &c.
6. Christianis bellum gerere & exercere judicia licitum est.
7. Causæ mutationis seu everfionis Rerumpubl. non sunt Eclipses, nec Cometæ, multò minus numeri Platonici aut fatalis annorum periodus.
8. Quæsituro: cur Eruditus minore honore afficiatur in Patriâ, quàm alibi, juxta notos versiculos:

In Patriâ non est acceptus gente Propheta;

Inter nemo suos evasit magnus amicos.

Ars bona in ignotâ vult regione peti?

In conflictu candidè respondebo.

FINIS,



Jher, Diss., 1669

ULB Halle

3


002 382 385



S. 6.

WMA





B.I.G.

Farbkarte #13

TIO POLITICA
DE

A E I S

N. T.

Quam

e & Superioribus

le suffragantibus

Sub

RESIDIO

BI Calmberg!

hâ - Thuringi,

que Eruditorum censura

Academiâ Salanâ

subjecie

AS PETSCHIUS,

ccensis Marchiacus,

diem Julii

o Philosophorum

E N Æ,

nis Jacobi Bauhoferi,

M. DC. LXIX.

177
15
11

1669, 11

4